



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXXVI. De cæco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

surrexit, & DEVM propitiatorem in commemoratione sancti sui glorificauit. Clamor ad cœlum attollitur & cum debita gratiarum actione hymnus gloriae omnipotenti D^EO ab uniuersis assidentibus decantatur.

C A P V T XXXVI.

De Caco.

Dies rogationum, & in ijs publica proceſſio.

Hoc quoq; successoribus nostris indicare curauimus, quod in diebus Rogationum ad sepulcrum prædicti Confessoris contigisse veraciter cognovimus. Quidam enim sacerdos cum populo suæ procurationi commissio in diebus Rogationum crucem cum hymnis & canticis ad Monasterium scilicet sancti Petri, & S. Georgij deferebat: cum quo quidam cæcus, alterius manu ductus, veniebat. Is cum ad sepulcrum Confessoris Christi venisset, ex toto corde suo rogauit sanctum HEINRICUM, ut per eius interuentum, restitueretur ei lumen oculorum. Cumque diu precibus & lacrymis pulsaret ad ostium pij Confessoris, cunctis videntibus & in laudem Dei acclamantibus, redditus est ei visus per gratiam omnipotentis. Et mirum in modum, qui alterius manu ductus Crucem Domini secutus fuerat cæcus, modò propriis manibus Crucem ferens cum laudibus Christi, populo domum redecenti ductum præbuit illuminatus.

C A P V T XXXVII.

De Languido.

Aliud quoque diuinæ virtutis miraculum celebri commemoratione, & certa fide cognitū est. Erat quidam languidus ipsa in ciuitate omnibus cognitus, cuius inferiora omnia à lumbis & infra omnia præ mortua fuerunt adeò vt nec pedibus solo niti valeret, sed instrumento cuidam rotulis quatuor coaptato pendulus inhærebat, suiq; corporis molem manibus propriis pro possibilitate artificis volutabat. Idem loculū sanctissimi corporis frequentius visitare solebat: & per Dei misericordiam

ad